

mandata edidit P. Pinius, Bollandi Continuator, ad diem III. Julii in Actis Sanctorum. Ibi Græcus Scriptor ait: *E vivis abiit Anatolius, atque ad Beatam Vitam migravit*. Tum in fine eum hæc alloquitur verbis: *Qui Magno Nunc Regi Adstas, atque ab ipsius fulgore inebriaris, inde fidelissimum tuum gregem adspice.*

Anno Christi DLXXXII. plenus meritis ad æterna gaudia translatus est S. Eutychius, gloriosus Patriarcha Constantinopolitanus. Ejus laudes funebri encomio prosecutus est *Eustratius* magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter, ipsius S. Patriarchæ familiaris atque domesticus, quam Henschenius in Acta Sanctorum ad diem VI. Aprilis intulit Latio donatam, addito etiam Græco textu in calce Tomi. Teste Eustratio cap. x. ejusdem Orationis, jam senex Eutychius *discedere cupiebat a Corpore, atque ad Dominum proficisci, usurpans identidem illa verba Davidis. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te Deus; &: Quando veniam & apparebo ante Faciem tuam. Neque enim dubitabat S. Vir, neque tunc meliora edoceri dubitabant, quin Piorum Animæ, simul atque e terrene carcere evadebant, ante Faciem Dei sisterentur, beatifico illius adspectu in perpetuum deinde fructuræ. Postremum tandem Eutychius diem clausit, atque, ut idem Eustratius ait, discedens ex hac vita in senectute bona, ab Angelis ad Cœlestes choros est sublevatus. Addit infra, illius Animam Cœlesti nunc adstare Altari, ibique cum sanctis Angelis & Apostolis pro universo Populo preces effundere. Nam, ut ille tubait, Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, & post vitæ commutationem pollebent virtute majori. Verba sunt Apostoli ad Hebr. xi. 33. ubi affirmat, Sanctos jam adeptos fuisse, quæ illis Deus fuerat pollicitus. De Abraham quoque ait in eadem Epistola cap. vi. 15. *Et sic longanimitèr ferens, adeptus est repromissionem*. Hæc autem consequuti sunt in novo Testamento: antea quippe nemo ad Cœlestem Gloriam ingrediebatur. Ac proinde quum infra Paulus dicat vers. 39. *non acceperunt repromissionem sine nobis*, rectè ea verba interpretari licet de vita æterna Sanctis minime conlata, antequam Christus Redemptor Ecclesiam suo sanguine fundaret, Cœlumque hæcenus clausum aperiret. Denique Eustratius in peroratione conversus ad S. Patriarcham, hæc ait: *Tu vero, sanctissime ac Beatissime Pater, de Cœlo nos respice, & vitæ nostræ cursum ad salutem dirige, ut Quum hinc recesserimus, recipias nos in Sinum Abrahamæ atque in Æterna Justorum Tabernacula, Ubi purius perfectiusque intueamur, quæ abs te didicimus de sancta & sempiterna ejusdem essentia Trinitate. Eandem, Pater, deprecare pro nobis, ut Bona consequamur Æterna &c. Viden', quo in loco, uti toties diximus, situs foret Abrahamæ Sinus? In Cœlo, ubi Altare mysticum, idest Christus, ubi Angeli atque Apostoli. Ibi vero ad Visionem Dei adductæ Animæ, purius & perfectius conspiciant, quæ de sancta, consubstantiali, & sempiterna Trinitate didicerunt in terris, idest non amplius Fide, sed Specie beatissimum illud la-**